

damus, qui res eorum optime noverat, et ab ipsis maximi fieri solet. Is in epistola ad Vulturium Neocomum: « Circumspice, inquit, populum istum Evangelicum, et observa, num minus illic indulgeatur luxui, libidini, et pecuniæ, quam faciant ii, quos detestamini? Profer mihi quem istud Evangelium ex comessatore sobrium, ex feroci mansuetum, ex rapaci liberalem, ex maledico benedicum, ex impudico reddiderit verecundum. Ego tibi multos ostendam, qui facti sunt seipsis deteriores ». Hæc Erasmus, qui non carmina fabulosa, sed narrationem seriam et verissimam in ea epistola de moribus pseudoevangelicorum, de quorum numero adversarius noster se esse gloriatur, instituit.

CAPUT XXIV.

Responsio ad ea, quæ adversarius in Satyris suis Pontifici Maximo petulanter objectit.

Restat pars ultima anonymi libelli, quæ Satyras quinquaginta et unam italicis rithmis comprehendit. Eas ego diligenter excutiens, reperi partem earum maximam consumi tum in repetitione eorum, quæ supra ex Dante, et Petrarca dicta fuerant; tum in congerendis in Pontificem Maximum conviciis, et maledictis. Vix autem succum aliquem argumentorum aut certe sententiarum quæ aliquam argumenti speciem præ se ferrent, iterum, atque iterum premendo exprimere potui. Quicquid autem illud sit, quam brevissime refutabo, licet alioqui carmen tam impolitum et sordidum contemni sine ulla auctoris injuria potuisset.

Satyra prima et quarta, et aliis nonnullis, Christum caput Ecclesiæ esse dicit, atque inde efficit, summum Pontificem caput Ecclesiæ esse non posse, nisi monstrum aliquod biceps Christi Ecclesiam faciamus. Sed hoc argumentum tam sæpe jam est a Catholicis refutatum, ut mirum sit, cur non pudeat adversarios tam putidæ repetitionis. Christum igitur caput esse Ecclesiæ universæ libentissime confitemur, neque ullum hominem, ac ne Angelum quidem illi æquamus; quod esset proprie duo capita in Ecclesiæ corpore constituere. At, quin sub Christo summo capite Vicarius ejus in terris caput, ut sic dicam, ministeriale non principale recte nominetur, negari nullo modo potest. Siquidem, ut in Republica temporali caput omnium principale rex est, sub rege deinde capita

sunt provinciarum ii, qui dicuntur proreges, et sub proregibus capita sunt urbium singularum certi quidam prætores, et sub prætoribus quælibet familia suum habet caput, ipsum videlicet patrem familias: et in exercitu caput est omnium militum imperator, sub imperatore legati capita sunt legionum, sub legatis tribuni, sub tribunis centuriones, sub illis decani suo quodam modo capita dicuntur, et sunt; nec tamen aut regnum, aut exercitum ob tot capitum multitudinem monstrum videri ullus unquam scripsit: ita quoque in Ecclesia Dei summum caput omnium hominum et Angelorum Christus est. Sub Christo in terris caput omnium Christianorum est Pontifex Maximus, sub illo episcopi, sub episcopis parochi capita sunt christianæ multitudinis. Et quamvis plurima veterum Patrum testimonia huc adferri possent, duo tamen, unus Græcus, alter Latinus hoc loco sufficient. S. Joannes Chrysostom. homil. 55. in Matth: « Deus », inquit, « concedere solus potest, ut Ecclesia tot, tantisque fluctibus irruentibus immobilis maneat, cujus pastor, et caput homo piscator, atque ignobilis ». S. Hieronymus lib. 1. in Jovianum: « Inter duodecim », inquit, « unus eligitur, ut capite constituto, schismatis tolleretur occasio ».

Satyra 3. Pontifices arguit quod se Christi successores esse gloriantur, cum Christus non successores, sed ministros Apostolos fecerit. At hoc mendacium nisi forte licentia poetica, sive potius hæretica, excusari non potest. Siquidem Summi Pontifices, cum et ipsi se Vicarios Christi nominent, et ab aliis passim hoc nomine designentur, certe non successores, sed ministros Christi se faciunt. Nam successores morientibus, vicarii viventibus dantur: et successores pares sunt iis, quibus succedunt, vicarii vero multo inferiores, ac plane ministri habentur eorum, quorum vices interim gerunt. Sed noster poeta furore illo poetico in frænesim actus, quid inter Vicarium et successores discriminis esset, videre non potuit.

Satyra 6. Satis pulchre sibi demonstrare visus est, non esse hæreticos, qui Romanam veram Ecclesiam esse non credunt, quod in symbolo apostolico catholicam, id est, universalem Ecclesiam confiteamur; Romana autem particularis sit, nec sine detrimento cæterarum universalis appellari queat. Sed non mirum est si nesciat satyricus iste poeta, de quibus loquatur, neque de quibus affirmet, ut apostolus Paulus de similibus homi-

nibus loquitur I Timoth. 1. cum majorem operam in fabulis Bocacii, quam in Theologis legendis, et meditandis posuerit. Neque enim Ecclesiam Universalem Romanam dicimus, quod in sola Urbe Roma Christi Ecclesia sit; sed quod Ecclesia toto orbe diffusa, cum Romana, ut cum sua matre, magistra, radice, fonte consentiat: quodque, ut loquitur S. Cyprianus lib. de unit. Ecclesiæ, cæteræ a Romana divisæ, nihil sint aliud, nisi rami a radice divulsi, rivuli a fonte præcisi, radii a solari corpore separati. Ad hanc enim Ecclesiam, ut vetustissimus Irenæus scriptum reliquit lib. III. cap. 3. propter potentioris principalitatem oportet omnem convenire Ecclesiam: hoc est omnes qui sunt undique fideles. Itaque quicumque in symbolo unam Catholicam Ecclesiam confitentur, ii nec vere unam, nec vere Catholicam tenent, nisi radicem et matricem Catholicæ Ecclesiæ, quæ sola Romana est, ut eam Cyprianus vocat lib. IV. epist. 8. agnoscant.

Satyra 11. et 12. Audacter mentitur ab Apostolo Paulo Romanum Pontificem Antichristum esse nominatum. At nos in quatuordecim, quæ exstant Epistolis Paulinis, tale testimonium non habemus. Fingat ipse, si ita videtur, pro ea licentia quilibet audendi, quam pietoribus, atque poetis Horatius tribuit, Epistolam 15. Legimus quidem in Apostolo II Thessal. II. futurum aliquando hominem quemdam peccati, qui sese efferet super omne, quod dicitur Deus, at hunc Romanum Pontificem esse, non Apostolus Paulus, sed apostata Lutherus scriptum reliquit. Lutherum autem, et quotquot eum sequuntur hac in re esse mentitos, satis aperte initio demonstravimus. Tantum enim abest, ut Romanus Pontifex sese efferat super omne, quod dicitur Deus, ut se non solum Christi famulum, sed etiam servum servorum Dei libenter appellet.

Satyra 33. Hoc ipsum nomen servi servorum exagitat; miratur enim quo pacto ista cohæreant, ut, qui servus servorum dicitur, regibus etiam imperare velit. Sed (ut magis Poeta miretur) addo ego, non tantum posse fieri, ut servus servorum, regibus imperet, sed etiam ut imperando serviat, et imperet serviendo; neque enim omnes qui serviunt obedire eos necesse est. Serviunt siquidem alii obediendo, ut mancipia; alii jubendo, ut magistratus; magistratus enim

populo servit, si legitimus non tyranicus sit. Quare B. Paulus II Cor. IV. servum se Corinthiorum vocat; et I Cor. IV. iisdem Corinthiis ita minatur, ut dicat: *Quid vultis? in virga veniam ad vos, an in spiritu mansuetudinis?* Et cum omnes præpositos Ecclesiarum servos esse, docuisset loco ante notato II Corinth. IV. ait tamen Hebr. XIII. ad filios Ecclesiarum: *Obedite præpositis vestris, et subjacete eis* (1). Sic igitur Summus Pontifex servus omnium servorum Dei vere dicitur et est, quod omnibus Christianis, ut communis omnium Pastor, et Doctor, monendo, dirigendo, imperando, castigando et corrigendo, serviat. Nam etiam Christus, cujus ille Vicarius est, minister fuit circumcisionis, Apostolo teste; nec ministrari venerat, sed ministrare, et tamen docebat, imperabat, e templo negociantes ejiciebat, et se adorari, sibi que a populis supplicari patiebatur.

Satyra 20. Non posse dici Ecclesiæ fundamentum Apostolum Petrum ex eo colligit, quod B. Paulus ait I Corinth. III. non posse poni fundamentum aliud præter id, quod positum est, quod est Christus Jesus. Sed loquitur Apostolus de primario Ecclesiæ fundamento, quod a nullo alio pendeat, quod etiam Ephes. II. summum angularem lapidem nominavit. Quod si post Christum non esset etiam Petrus Ecclesiæ fundamentum, cur eum, quæso, Dominus in Evangelio, Cepham, id est, petram appellaret? et de petra eadem dixisset: *Et super hanc petram ædificabo Ecclesiam meam?* Neque enim Petri nomen a petra dicitur, ut adversarius credit, sed est ipsum petra vocabulum cum masculina terminatione, ut commodius aurius accideret. Dominus enim, qui hoc nomen Simoni imposuit, syriace Cepham dixit: Cephas autem syriace non petreum, vel petrinum, sed petram significat: ut etiam Græcum nomen πέτρος; idque etiam Patres omnes una voce confessi sunt. Origenes homil. 5. in Exod. « Vide, inquit, magno illi Ecclesiæ fundamento, et petrae solidissimæ, super quam Christus fundavit Ecclesiam, quod dicatur a Domino: Modicæ fidei, quare dubitasti? » Tertullian. in lib. de præscript. adversus hæreticos: « Latuit, inquit, aliquid Petrum ædificandæ Ecclesiæ petram dictum? » S. Cyprianus in epist. ad Quirinum: « Petrum Dominus primum elegit, et super eum ædificavit Ecclesiam ». S. Hila-

(1) I Cor IV, 21; Hebr. XIII, 17.

rius in Comment. ad cap. xvi. Matth. « O in nuncupatione novi nominis foelix Ecclesiae fundamentum, dignaque ædificatione illius petra, quæ inferorum leges dissolveret. O beatus Cœli janitor. » S. Gregorius Nazianzenus in orat. de moderatione in disputationibus servanda: Petrus, inquit, petra vocatur ». S. Epiphanius in Ancorato: « Dominus, inquit, constituit Petrum, Apostolum, petram firmam, supra quam Ecclesia Dei ædificata est ». S. Ambrosius in hymno, qui tota Ecclesia celeberrimus est: « Hoc ipsa, inquit, petra Ecclesiae, canente culpam diluit ». S. Hieronymus in comment. ad cap. xvi. Matth. « Secundum metaphoram, inquit, Petri recte dicitur ei: ædificabo Ecclesiam meam super te ». S. Joannes Chrisostomus homil. 53. in Matth.: « Tu es, inquit, Petrus; et ego super te ædificabo Ecclesiam meam ». S. Augustinus in Psalmo contra partem Donati: « Numerate, inquit, Sacerdotes, vel ab ipsa Sede Petri; ipsa est petra, quam non vincunt superbæ inferorum portæ ». S. Cyrillus lib. II. in Joan. cap. II. « Nec Simon, inquit, fore jam nomen illi, sed Petrus, prædicit, vocabulo ipso commode significans, quod in eo tamquam in petra, lapideque firmissimo suam esset ædificaturus Ecclesiam ». S. Paulinus in epist. 4. ad Severum: « Petra, inquit, est Christus, sed etiam discipulo suo hujus vocabuli gratiam non negavit, cui ait: super hanc petram ædificabo Ecclesiam meam ». Theophilactus in comment. ad cap. xxii. Lucæ, Christum inducit ita loquentem ad Petrum: « Post me Ecclesiae petra es, et fundamentum ». In quam sententiam sic etiam Euthymius scribit in comment. ad cap. xxvi. Matth. « Te ponam fundamentum credentium, ædificabo super te Ecclesiam meam ». Sed stultus videatur fortasse, et ab istis ipsis Patribus merito reprehendar, quod tam graves auctores levissimæ satyræ objiciendos putaverim. Veniam igitur ad postremam criminationem, et Apologiæ finem imponam.

Satyra 2. 9. 14. 35. Vitio vertit Sixto V et Pio etiam V humilitatem generis, et quod ex claustris Monasteriorum ad Pontificatum ascenderint. In qua re satis prodit se cujusdam quinti Evangelii discipulum, ac sectatorem esse. Non placent illi videlicet Evangelia quatuor Matthæi, Marci, Lucæ, et Joannis, in quibus ab ipso Christo ad summas Ecclesiae dignitates lectos videmus humiles piscatores, ex Bethsaida vinculo Galilææ. Non

sapit illi quod Apostolus ait: *Videte vocationem vestram, fratres, quia non multi sapientes secundum carnem, non multi potentes, non multi nobiles: sed quæ stulta sunt mundi elegit Deus, ut confundat sapientes; et infirma mundi elegit Deus, ut confundat fortia; et ignobilia mundi, et contemptibilia elegit Deus, et ea quæ non sunt, ut ea quæ sunt, destrueret.* Non probat adversarius consilium Dei, qui regem secundum cor suum in pascuis quæsit, et invenit, et sustulit eum de gregibus ovium, et de post foetantes accepit eum pascere Jacob servum suum, et Israel hæreditatem suam. Credo etiam Mosem contemnet, qui ad principatum a Deo vocatus est non ex aula Pharaonis, sed ex deserto, ubi soceri sui gregem pascebat. Ac ne sapientes quidem mundi hujus adversarius audiret, qui gloriosius esse ducebant posteris suis facem prætulisse, quam splendorem a majoribus accepisse: et virtutis, ac sapientiæ laude, quam generis nobilitate, aut majorum commendatione viam sibi ad summos honores patefecisse. Quæ cum ita sint, aut solus adversarius noster sapit, et sapientes omnes, ac ipse etiam Deus, et Christus, et Apostoli desipiunt, aut quod est verissimum, sic ipse unus desipit, ut id vituperet, quod summa laude dignum erat. Quod vero attinet ad monasteria; quis nescit optimos sapientissimosque Pontifices, atque Ecclesiae Catholice utilissimos ex monasteriis ad summi pontificatus fastigium omnibus ætatibus fuisse promotos? Monachus certe fuerat S. Dionysius, qui vicesimus sextus a B. Petro, et omnium consensu doctissimus, et optimus, magna cum laude Ecclesiae præfuit. Monachus fuerat S. Gregorius, qui ob doctrinæ et pietatis excellentiam, ac rerum gestarum magnitudinem Magni cognomen invenit. Monachus fuerat insignis ille Agatho, qui VI Synodum œcumenicam magno suo labore ac diligentia congregavit; et doctrina ac miraculis claruit. Nec minor in Adeodato Pontifice et Monacho, qui Agathonem præcesserat innocentia vitæ morumque integritas fuit. Monachi fuerant Stephanus IV, Paschalis I, Joannes IX, laudatissimi Pontifices. Monachus fuerat Gregorius VII, qui velint nolint hæretici, inter optimos, sapientissimos, constantissimos, sanctissimosque Pontifices semper est numeratus. Tametsi enim concubinarij et simoniaci, quos ille summo studio persequeretur, multas in eum criminationes confingerent, ta-

men « signa et prodigia » (ut loquitur Lambertus Scaphnaburgensis in historia rerum Germanorum, qui eo tempore vixit et scripsit, et Germanus, non Italus fuit) « quæ per orationes Gregorii Papæ frequenter fiebant, et zelus ejus ferventissimus pro Deo, et Ecclesiasticis rebus, satis eum contra venenatas detractorum linguas communicabant ». Monachi fuerant Victor III, Urbanus II, et Paschalis II, qui ordine post Gregorium VII, in Apostolica Sede constituti, scriptorum omnium consensu vitæ sanctitate, et rebus gestis claruerunt. Monachus fuerat Eugenius III, qui ob egregiam sanctitatis famam ad Pontificatum assumptus, in summo illo fastigio moderationem pristinam retinens, miraculis et vivus et mortuus floruit. Monachus fuerat Adrianus IV, qui cum doctissimus, et optimus haberetur ab Eugenio III, Cardinalis creatus, et in Norvegiam missus, eam provinciam Christo suis laboribus acquisivit, ac deinde Pontifex factus laude constantiæ et magnitudinis animi insignis fuit. Monachi fuerant Innocentius V, ex ordine Prædicatorum, ac non diu post Nicolaus IV, ex ordine Minorum, quos uno ore historiæ omnes optimos probatissimosque Pontifices fuisse testantur. Ac ut Benedictum XI, Urbanum V, et alios laudatos Pontifices prætermittam, monachus fuerat S. Petrus Moronus, qui Cœlestinus V, in

summo pontificatu appellatus est; cujus quidem ea fuit apud Deum devotio ac fides, ut miraculis maximis claruerit, ea rerum humanarum despicientia, et solitudinis, ac divinæ contemplationis amor, ut ipso se pontificatu sponte abdicaverit.

Neque vero solum in ordine summorum Pontificum ex monasteriis viros clarissimos invenire licet, sed etiam in ordine præsulum cæterorum. Siquidem S. Gregorius Nazianzenus, S. Basilius Magnus, S. Martinus Turonensis, S. Augustinus clarissimum lumen Ecclesiae, S. Paulinus Nolanus, Severus Sulpitius, S. Anselmus, alique innumerabiles viri doctissimi et omni virtutum laude celeberrimi ex Monasteriis ad episcopatum assumpti fuerunt. Desinat igitur adversarius nisi plane stultus haberi velit, in summis Pontificibus Sixto, Pioque id reprehendere, quod in tam multis aliis cogitur laudare. Et quoniam omnis adversarii conatus, ut etiam cæterorum Calvinistarum, eo potissimum spectat, ut sedis Apostolicæ auctoritatem et dignitatem imminuat, sancti Leonis Magni viri sapientissimi, atque optimi verbis Apologiæ claudam: « Quisquis huic sedi principatum æstimat denegandum, illius quidem nullo modo potest minuere dignitatem, sed inflatus spiritu superbiæ suæ, semetipsum in inferna demergit ».